brum meum habes. Petr. Me rogas/sum ne ego codicis
tui custos. Paul. per immortalem te oro deum redde mihi
eundem. Pe. Quid me rogitas fatue/nihil ego tui egeo li-
bri/sat libroꝝ mihi est. Paul. Ne demoreris me te etiã atqꝫ
etiam rogo/nam cito hinc abeam oportet. Pet. Eas ĩ ma
lum cruciatum pessime. Pau. Adhuc me vituperas. Pet.
Abscede te hortor. Paul. proculdubio sentis quippiam de

amisso libro. Petro. Abi hinc te iterum moneo/ nisi abscesseris vapulabis profecto. Pauli. proterue quidem respondes/ sed hoc vtiqz dicere ausim ꝙ qui hodie me penes sederit preter te scio neminem. Petro. Furti me accusas audio/ abires velim. Pauli. Nisi mihi librū reddideris nusqꝫ ibo Pe. Desine molestus esse/ si non feceris/ mendax tuum os libro meo tibi diminuam/ vt cum dentibus linguam expuas/ naz vbi tuus sit liber neqz scio neqz noui/ neqz hūc hodie meis vidi oculis. Pau. Nihil certi ex eo accipere possum pamphile. O me infortunatum/ excruciabit me misere pater hoc dum acceperit. Pamphi. Baccalario hoc cōquerere. Paul. Erudite baccalarie queso vt memineritis si forte quis librum meum quem nunc amisi offenderit.

Baccala. Huc animum aduertite omnes ⁊ facite indiciū/ si quis viderit paulini librum/ si quis eū abstulerit/ quisue sustulerit. Lentu. Ipse vidi hodie pauperem quendam ferre librum/ sed an suus fuerit plane non perspicio. Bac. Nomen illius ⁊ vnde sit nostin. Len. Non equidem nosco. Baccala. Ipsum dum conspicareris nostin. Lentu. Arbitror/ lacera nimis tunica ⁊ ea quidem rubea/ pullo quoqz mantello erat vestitus. Bacc. An in horum sit numero vide. Lent. Non video ipsum/ foras egressus est librum forte venditurus/ ad forum se proripuit. Baccala. propera ergo tu Lentule/ cape tibi hos duos comites si illum videris tuis istis indicato socijs clanculum/ vos autem illum deprehensum (si non sua sponte sequitꝛ) ducite. Ite ⁊ ipsum in foro per tonstrinas per lanienas ⁊ circum sed a longe sequimini Lentulum/ nedū ille trium litterarū homo vos simul ac celerare conspiceret aliquid fraudis vos tendere sibi persuaderet. Custos. Jam magistri oblitus es pauline. Pau. Nūc equidem eo. Pamp. Oportune aduenisti petronelle/ iamdudum te expecto. Petro. At quid me vis. Pāp. Carnem hāc assam mihi credidit paulinus/ vt tibi redeūti dem. Petro. probe egit/ esurio maxime/ stomachus mi-

hi dudum crepuit/sed ipse vbi nam est. Pamp. Ad magistrum iuit/aderit statim. Petr. Vtinam rediret cito. Pāp. Eccum. Pau. Serus ad nos redis petroni/nihil noui tecum fers/non loqueris mihi. Petroni. Comedisti pauline Pau. Ad satietatem vsq3. Petro. Sine ꝛ me meam pauxillum eximere famem istac carnis bubule portiuncula/ nā cursitando vbi locorū fuerim et quid egerim memorabo. Paul. Ede cito. Petro. Censes me caninam habere rabiem vt hanc simul totam deglutiam. Paul. Ne velis irasci ede q̄ diu lubet/ sat temporis tibi concedam interea pamphilum conueniam. Petro. Nec redierunt qui illius querendi nequam hominis causa missi sunt ad forum. Paul. Eos iam redire autumas cum vix eo peruenerint. Petr. Quartale vnius hore fere iam preteriisse reor. Pamp. Quid tum priusq̄ in aliorum cetu hominum queritur media ladix hora. Pau. Satur iam es petroni. Petr. Satur ne sim rogas: ex tam paruulo carnis frusto/multo iā auidior cibi sum q̄ antea. Pauli. Missa fac hec saturabere breui dū vbi fueris mihi dixeris. Petronius. Vtinam eueniret vt polliceris Paulinus. Nil prorsus diffide: cape manum meam hanc dexteram bona fide promitto id tibi futurum. Petroni⁹. In parentis tui pomario fui. Pauli. Qui cū cedo amabo Petronius. Cum adolescentulo quem creberrime domū genitoris intrare ꝛ egredi conspicor/nomen non memini. Pau. Certe ipsus est de quo cogitabam/sed vbi illum reliquisti. Petronius. In horto. Paulinus. Intellexistin eum ibi diu permansurum. Petro. Ad solis vsq3 occasum. Nā ancillam aiebat se iam nunc corbes esse portaturam ꝑ colligendis pomis ꝛ aliis arborum fetibus. Paul. Tantum ne damni huius noctis ventosa fecit tempestas. Petroni⁹. Incredibile est dictu. Pau. perge rursus illuc mecū amantissime petroni/duos tibi dabo obulos. Petro. Nō ausim Pau. Quid ni. Petro. Timeo mihi ne a baccalario corrigar. Pau. Pone timorem ꝛ morem mihi geras in hac dū

tavat re. si posthac etiã quidpiã abs me optaueris me tibi
presto esse semp futurũ profiteor. Petro. Tibi optemperarẽ
q̄ lubẽter ꝫ baccalarius mihi cordi est. Pau. Exclude me-
tũ/ nã quo pacto baccalariũ ludificabim⁹ tibi dicã. Petro.
quid vis vt sibi loquar. Pau. De genitoris mei sede te nũc
pedẽ ferre meq3 exiuisse ad se sibi dicito. Pet. Sentiet dolũ
formido. Paul. Experiere q̄ nõ dubitabit aliquã hic delite-
scere fraudẽ/ sumito saltẽ audaciã. Petr. Metuo mihi her-
cle/ nã me alias fallaciarũ plenũ dicit ⁊ doli. Pauli. Quid
adeo expauescis more femine/ ipse fauorẽ accipiã tu saltez
fateare id voluisse patrem. Pet. Quid ego metuã rogitas?
sed fac age fatebor. Pau. Perdocte baccalarie date mihi ve-
niam queso/ ad patrem vt eã. Bacc. Quid rei cũ patre mo-
do habes/ mane hic. Paulin. Sinite me abire vos obsecro
Bac. Patri tuo non opus est seruitute tua/ sat habet fami
lie scio. Pau. An seruitutis mee indigeat nescio ꝫ me hercle
per Petroniũ accersiuit ad sese vt venirem euestigio. Bacc.
Garris inepte. Pauli. Non edepol mentior. Petronium ro
gate/ is reddet vos certiorem. Bacca. Quando ⁊ vbi Pau-
lini parentem vidisti. Petro. Modo in templi porticu mi-
hi obuius venit. Baccalarius. Compellauit ne te? Petro-
nius. Compellauit. Baccala. Nunccine aiebat cupere sese.
Petro. Nunc gnatum suum. Baccalar. Ficta profers for-
tasse/ nam quid hominis sis iampridem compertũ est mi
hi. Petro. Sic est vt dixi. Baccal. Petroni petroni/ tibi bo
na fide ꝑmitto si mendacia mihi protulerꝭ te virgis adeo
cedam/ vt dum vixeris mei memineris/ sapis hec? Petro.
Sapio optume. Bacca. Ad patrem vt eas pauline tibi fa
ueo/ sed ne me vna cum petronio defraudaueris caueto/
sed codicis tui iam prorsus es oblitus/ quem si Lentulus
attulerit/ cui vis vt detur. Paulin. ~~Ex quo~~ cui potius illũ
commendem preter vos scio neminem/ mihi donec redie-
ro seruatote obsecro/ aut iubeatis vt quispiam scolarium
mihi interea loci detineat. Paul. Quod volui vt volo im-

petraui. Petron. Nemini dixeris te hortor/ et sequere me/ simul circumspice / ne quis scolarium qui nos in hortū ire speculetur adsit. Baccala. Ecquis eminus cursitat custos? Custos. Lentulus met tertius venit. Bacca. Certe ipsus est sed heus quartus vbi nam est quem aiunt librum sustulisse/ quid noui tecum affers Lentule. Lentu. Nusq̄ offendimus iuuenem illū. Bacca. Male satis. Lentu. Ter sursum atq3 deorsum in foro cursitauimus exploraturi eum sed neq3 mihi neq3 hisce meis sodalibus visus est vsq̄/ nil tamen ambigo quin in populari illa magnitudie delitue rit. Baccala. Densum ne vulgus in clamoso foro it. Lent. Tam densum q̄ creditu sit difficile/ quanta illic sit plebee contionis frequentia. Baccalarius. Caueat ille nequā vos omnes hortor nemini dixeritis/ me pro illo rogasse/ et cuz modo inueniri non potuit/ age Lentule cum ad scholas ille gressum fecerit/ continuo mihi vt narres volo Sinautem quispiam vestrum illum de mea inquisitione certiorē fecerit/ et id mihi dictum fuerit is sciat se impune non esse euasurum. Lentu. Faciam vt iubetis.

¶ Cantor. Custos. Magister Nopsus. Eurialus. Amintas.

¶ Non possum non vehementer admirari q̄ tā duro estis ingenio super addiscendis carminibus/ sed inaduertētiaz potius incusem oportet q̄ ruditatem/ cum presertim hijs multo difficiliora sepenumero q̄ studiosissime didiceritis Et hoc qd modo fere sexagesies vobiscum cecini carmē de simplici est contextu/ nec quidpiam habet amfractim/ ex puris enim constat concordātijs/ pleriq3 vestrū sunt capaces/ et si qui obtusiori sunt intelligentia/ grossiciem tamen multa opera mollescit/ vt ferri obtusitas saxo acuitur: sed ne labor meus sit inanis/ neue (qd inprimis pertimescendū est) in tēplo cātaturi scandalo et dedecori mihi sitis/ ve-

luti crebertime consuestis facere/constitui examinãdo ve-
stram probare diligentiam. Sed vt iussis magistri obtem
perem abi cito custos/ magistrum huic examini vt inter-
sit meo nomine rogita. Cust. En fores iam aperit/ingredi
tur. Can. Abunde est. Magis. Spopondi me pridie audi-
turum q̄ꝫtum opere detis carminibus/antiphonis/rñso-
rijs in templo nostro pro dei cultu decantandis. Cum pre
sertim iam totiens hoc vnum cecinistis carmẽ/ vt mihi re
petitione sua molestius sit nihil. Quare agite cantor/q̄ꝫtū
quisqꝫ sapiat experiamur/cantet Mopsus tenorem. Eu-
rialus discantū moduletur. Amintas bassum tonet/ vos
alij tacete/sed arractis auribus animaduertite. Can. Inci-
pe Mopse. Euriale vnū seruato suspiriū/ tu vero Amin-
ta longam teneto pausam/audistis q̄ꝫ canoram habet vo
cem Mopsus/in pastorum fuit fortasse scolis/a bobꝰ her
cle (dum inter alia boant armenta) hunc didicit cantum.
Nā per immortalem deū mugitū potius q̄ꝫ humani gut
turis sonum audire mihi videor. Nescio q̄d Amintas in-
tra faucem immurmuret/ego te penitus nihil ꝑcipio/suc
cinis nimium/altiori voce cantes oportet. Incipe rursus/
⁊ pause nō obliuiscere Aminta q̄d adeo raucis/crudū reor
comedisti allec/⁊ salsum nimis. Amin. Nō/sed ea vox mi
hi semper est/fuitqꝫ multos annos/ nec spero me vnq̄ꝫ se-
reniore voce esse cantaturū. Can. Mutastin. Amin. Iā pri-
dem. Cā. Quot annos natus es. Amin. Viginti. Cā. Eho
multum habes etatis/ existimabā te vix tredecimū agere
annū/irritus iam est omnis conatus serenande vocis/po
steaq̄ꝫ raucedo intra fauces tenaciter adherens obduruit/
sero nimis expectasti/ ingens enim clamor mutationis tē
pore vocem serenat. Amin. Nil ꝓrsus clamor ille iuuit me
Cant. Cum itaqꝫ rauca tibi sit vox satius tibi erit posthac
os cohibere q̄ꝫ aliquid inconcine depromere. Canta tu bas
sum Daue/⁊ memieris pause te hortor. Dauus. Memi-
nero. Cantor. Abscede Mopse cum tuo boatu accede tu

Alexander secundo 2 tregesimo anno aetatis mortuus est / Ille de ... anno ...

Coridon videris enim mihi canorã vocem habere/ et cum Eurialo incipe. Cantor. Ho ha he/ caprigena certe Coridõ est/ aut cum capris alitus/ hunc ab eis didicit sonum/ tace tace obsecro te/ quod si in caprorum grege te cantãtem offenderem nescio quo pacto ab eis discernerem/ ades huc Dameta et tenorem cantato. Dame. Nondum plene scio. Cantor. Ohe nescis omnium durissime/ cum tamen per hosce dies semper modulatus sim / tres vna tecum afferto virgas custos. Custos. Adsunt. Cãtor. Aride nimis sunt vno franguntur ictu/ cape tibi obulum et emito mihi succi plenas que tenaces sunt / efficiam vt posthac plus opere faciant. Dameta. Nunc primum hoc audio carmen. Cãtor. Quid loqueris mendax. Num a die lune in hunc veneris vsque diem quotidie cecini. Dameta. Non inficior sed ipse non intereram. Cantor. Eo peius est. Dameta. Scitu et fauore magistri in patria fui tellure. Cantor. Que res tam ardua natale solum vt viseres impulit te. Dameta. Socer meus binas ad me dedit litteras/ cum quibus mihi proscripsit matrẽ febre quartana implicitã et suprema cõfectã macie ex hac vita esse migraturam. Et si quid suarum rerum integrum mihi seruari velim / quod primum vt venirem monuit. Cantor. Nuge sunt. Dameta. Non hercle. Cantor. Fallis fortasse me plenus nequiciarum es/ ascende Petroni ad magistri habitaculum / meque certiorem vt faciat roga / an Damete ad patrium larem abitio cum suo consensu facta sit. Fac age Melibee interea loci quid ipse scias intelligam. Melibeus. Ignarus sum carminis huius. Cantor. Male satis/ canta paululum. Melibeus. Non scio hercle. Can. Quãobrem nihil prorsus opere das cõcentibus. Custodes adsitis/ arripite hũc et tãtisper eũ pedibus tenete dũ eũ bene correxero. Melib. Ignoscite mihi pro hac dũtaxat vice posthac ero diligentior. Cã. Nõ ignoscam paruipẽdis hortamina mea. Me. Parcius me corri-

gite p clementissimū vos rogo deū. Cāt. Quo minꝰ scis eo plus corrigēdus venis/ sinite eū iā custodes. Petro. Magistrū nusq̄ offendi/ postes clausi sunt/ ter pulsaui ⁊ quidē cū tumultu/ nemo tn̄ mihi aperuit/ catulū solū audiui latrantē. Cā. In ecclesia ipsum fortasse offendes orātē/ sꝫ mane hic ipse eū appellabo/ ⁊ cum ad chorū vobis iam eūdū sit/ examen aliorum ad crastinum prorogare volo

¶ Paulinus. Entellus.

¶ Quo agis te cū cantaro entelle. En. Quid rogas. Pau. Edissere mihi quorsum ibis te plurimū oro. En. Nū ipse rogo quo tu gressum dirigis/ nil tibi cure sit mea abitio/ tu tuam rem cura/ sine me meam curare. Pau. pderit mihi fortasse id scire. En. Ad rubetū eo. Paul. Quid istic tibi negocij est mi entelle. Ent. Genitrix mea heri vestes lauit/ has modo ad solem in horto siccat cum sorore Pamphinella ⁊ ancilla Nisa. His (quia proculdubio ob estū sitiūt) potum vt afferam iussit pater. Paul. Est ne vobis hortus Ent. Est. Pauli. Vbi nam/ cedo charissime entelle. Entel. Scin qua in quernam itur siluam. Pauli. Scio optume. En. A leua in primo nemoris ingressu est spinis aspsa sepes/ quam iuxta antiqua stat salix. Pau. Illa ne que hostiolo imminet. En. Istec. Paul. Multas in eo habetis cōsitas arbores. Entell. Innumeras/ nam spaciosus est valde ⁊ viridi gramine amenissimus ⁊ propter arborū densitatem totus fere opacus/ hic buxus viret: hic floret iunipe rus/ vernat hic pirus/ pullulat alibi pomus/ vitis hic lachrimat ⁊ gemmas trudit/ longum est dictu/ dies me priꝰ deficeret/ si tibi quot hic herbarum ⁊ fructicum virent species enarrarem. Pauli. Delectat me plurimum istec descriptio. En. Ausculta/ adhuc vnum dicā quod tibi plus voluptatis cōferet/ ī viridarij medio fōticulꝰ q̄dā liq̄dissimis ex arena scatet vndis/ dumo tegitur ⁊ viuo saxo circūdatur/ p totū hortū hinc riuulus decurrit. Pau. Iucūda me-

moras incredibili me afficis voluptate / sine me tecū ire te
ꝑ iouem oro. En. Non ausim. Pau. Quid tum: En. Ma
ter vetuit ne quemq̄ alienū introduxerim. Paulin. Nihil
mali ex me tibi futurū time. Ent. Loqueris vt sapis / ma
trem meā ipse noui optume. Paul. Faueo mihi vna tecū
vt ambulem. Entel. Tace / succensebit mater. Pau. Nō her
cle / grata magis erit ex meo aduentu. Ent. Egreferet scio
dū te introduxero. Pau. Si eam iratam fore accepero / ab-
scedā illico. En. Faciam qđ petis si mihi quippiā dederis
Pau. Quid me tibi vis dare. En. Obulos tuos. Pau. Nō
sunt mihi modo / cras tibi bona fide promitto me datuꝝ:
aut si nulla fides mihi tecū est / accipe libellū hūc in pign⁹
Entel. Q̄ti eū estimas: Pau. Duoꝝ grossoꝝ. Ent. Vix va-
let assem. Pau. Dudū mihi pamphilus plus pecunie pro
eo dedisset / daret ⁊ modo / sed mihi nō fuit vnq̄ venalis.
Entel. Quid adeo mihi te suꝑ illo iactitas miror / an reris
me illius nescire valorē. Paul. Arbitror edepol / ꝭ intus q̄d
contineat nondū nouisti. En. Latina. Pau. Quid latina:
erras. En. Nihil scio magni ī tā paruo ꝯscriptū esse potest.
Pauli. Recte memoras / propterea ꝙ ignoras parui existi
mas. Ent. Aperi ergo vt quid obseruet videam. Pau. Ape
riam confestim / sed ante quid in se contineat dicā / ne opi-
neris me cōmentū esse dolū / habet libellus is mihi charis-
simus primū ⁊ quartuz tractatus Petri hispani textuali-
ter pulchre scriptos / calamo quidem subtili valde / et atra-
mento nigerrimo / sequitur deinde moralis ille Chato / ad
ditus est in fine tractatus ille quē magister de nominibus
⁊ verbis hyeme que precessit ex Prisciano collegerit / sed vt
me vere dixisse cōprobes / tibi eū conspiciendū do. En. pro
be locutus es / non credidissem tā multa hic cōtineri. Pau.
Vis modo vt tecum ambulem. En. Sed eum pro pigno
re seruabo. Paul. seruato tibi / ea vero lege vt dū tibi duos
obulos dedero eundem vt mihi reddas. Eu. Equum est.
Pau. Eamus, En. Ibo pre / tu me sequere procul / ne ma-

D

ter intelligat me induxisse te/ vex potius crederet te preter eunte casu intrasse: et interrogatus a genitrice mea unde ve neris/ dic te vestes lotrici attulisse in rubetũ/ vidisse quoqȝ ut in hortum iuerim. Paul. Recte suades. Ent. Ecquis in hũc nostrũ venit hortũ mater/ nũ paulinus est: certe ipse ē. Pau. Saluete. En. Eho pauline et tu sis felix: unde inopi nus pergis. Pau. Ex rubeto. En. Quid illic egisti: Paul. Linteamina/ togas/ capitergia/ camisias/ mantilia. lotri ci nostre lauanda portaui/ inde cũ redirem te eminus itra re cõspicatus e uestigio secut⁹ sum/ saltē non displiceret ma tri tue: sed audit fortasse que loquimur. Mater. Ne cura fi li mi nil me hic tuus molestat ingressus/ lude cum filiolo meo q̃diu lubet. Pauli. Dei q̃ vernat is vester hortus/ est multo spaciosior nostro. En. Ubi vester situatur. Paulin. Scin diui Nicolai sacellũ: Ent. Optume. Pauli. A leua ci miterij itur in vicũ vnũ/ ad cuius cũ perueneris terminũ: stat a dextra paruula domus pastorali similis tuguriolo hac iter est ĩ hortũ nostrũ qui vsqȝ ad antique odere aquas protenditur/ leto etiã amenissimus gramine cerasis et po mis fertilissimus. En. Nõ memini me vnq̃ ibidem fuis se. Pau. Breui te eo ducã. En. Sũt ne in eo cõplantate tot arbuscule: Pauli. Nõ nã rustic⁹ ille cui colendũ dedit nihil penitus in eo opere fecit: genitor etiã alijs prepeditus eum paruipẽdit. Jãdudũ illũ vendidisset/ sed delectationis gra tia retiet/ preter alios quos gignit fructus plurima fert ce rasa. En. Quid cerasa mẽoras/ seq̃re me quot et quales hic hortus noster fetus et q̃ multa olerũ herbarũqȝ genera pa riat tibi indicabo/ hic excreuit lactuca/ ibi cepa/ porrũ/ al liũ/ petroselinũ/ pisum hic cũ lente exurgit (et quod raruȝ Uratislauie repies) hic risuȝ nascit: has cucurbitas ipse po sui/ mirũ dictu et q̃ magno intumescãt vẽtre/ dũ satis eis humoris ministrat/ hoc spinetũ coronã gerit ĩ gallice nu cis magnitudie/ hec rutã/ maioranã/ lauẽdulã germana sibi ꝑ sertis educat. Pau. Sȝ qui nã arbor istec/ nunq̃ me

mini me vidisse similē eius. Ent. Amigdolas hꝫ optimas
proxīa huic (qd̉ minīe crederes) sicꝰ fert magnas/illa vero
cū hirsutis ramis castaneas. Pau. He ho ho. Entel. qd cla
mas: Pau. Ranā sub pede sensi. En. Times fatue. Paul.
En salit. En. Cōprehende eam manu. Paul. Horreo certe.
En. Cur: Pau. Horreo ranas/ sed vnde huc venerit miror
En. Ex lacu quē fonticulus ille facit (cuius ante memine
rā) venit/ vbi multe habitāt/ nō audis surde ꝗ̄to clamore
coaxant: Pau. Eamus ad fonticulū. Entel. Istac nō recte
ibimus. Pau. Ad riuuli fluorē gressum dirigo. Entel. Er
ras obliquo it cursu/ ad leuā ambulemus necesse est: nam
ad dexterā palus est limosa vluis ⁊ iunco/ grata (vt dixi)
ranarū sedes/ tu saltem me sequere hac prope iam est fons
quem petimus. Pau. Entelle entelle prestoleris paululum
En. Quid. Pau. Ecce fraga hic conspicor. Entell. Garris.
Pau. Nō edepol/ siste tu huc ⁊ videbis. Ent. Nunꝗ̄ antea
hic ea crescere vidi/ sed necdū matura sunt. Pauli. Supra
modū dulcia sunt gustu/ cape duo hec ⁊ proba an verū ti
bi dixerim. En. Edamus ad satietatē vsqꝫ. Pauli. Nescio
quid hic repit/ fugiamus hinc fugiamꝰ/ vipera hic serpit.
En. Quid me adeo terres fugitiue/ totus intremui. Pau.
En sub sentibus caudā adhuc erigit. Entel. Discedamus
ne quippiā veneni serpens ille in nos euomat/ iā enim no
bis obtigit id quod baccalarius nobis hesterna lectiōe ex
Vergilio interpretatus est. Qui legitis flores et humi na-
scentia fraga. Frigidus o pueri fugite hic latet anguis in
herba. Sed fonti appropinquamus. Pauli. Vbi nam est.
Entel. Hic/ sed propter virgulta quibus circundatur vide
ri nequit. Viden modo. Paul. Optume/ hei ꝗ̄ vitreis ma
nat vndis: delectat me sane plurimū istiusmodi scaturigo
dulces proculdubio aque sunt ⁊ potabiles. En. Ipse scio/
qꝛ sepe inde bibi. Pauli. Aret mihi os ob sitim. Entel. Bi-
be audacter tam gelidus is (mihi crede) latex est vt potan
tiū dētes infrigidet/ experiri potes si vis/ merge saltē os in

fontis superficiē senties cōfestim aquarū et dulcē saporem ⁊ frigus.Pau.Caput meū ingurgitabis timeo.En.Non faciā/abibo procul.Paul.Sic est vt dixisti/nūq̄ bibi nec credo me olim tāte suauitatis aquam bibiturū:malo hūc potare fontē (Jouem testor) q̄ cereuisiā.En.Nullibi gentiū huius inuenies similē qui adeo frigefaciat (quicquid sibi immittit) ⁊ qui magis est liquidus. Pridie pater (qđ minime crederē si experientia nō approbassem) lagenā veteris vini plenā (quod a sole incaluerat) sibi vt reficeret imposuit/dūq₃ illa breuiusculo tempore in eo iacuisset/ mex fontis frigus intū cōtraxerat/ vt dū genitor bibere vellet abstinere etiā cogeret:⁊ nec vnq̄ se vinū recentius gustasse asserebat.Pau.Expertus tibi credo.En.Ipse etiam bibā verū adibo prius matrē vt ⁊ partē casei mihi det petā.Pauli.Et mihi partē etiam afferto.En.Quid interea acturus es.Pau. In hoc viridi quiescā gramine sub hac vmbrosa quercu.nulli me hic solis contingunt radij.Entel.Incide potius cannas aut succi plenas proscinde frondes salicis/ ⁊ illas tantisper tundito/donec mollis possit euelli cortex: cū rediero faciemus inde nobis fistulas.Paul.Accōmoda mihi cultellū.Entel.Ne mihi eū amittas timeo.Pau.Nō amittā.Entel.Heri socer meus illū mihi dono dedit/diligēter ergo mihi custodito te hortor.Pau.Curre ocius ⁊ affer panē cū caseo vt edamus/ fistulā cū adueneris paratā tibi reperies.Ent.Fistulam parastin:Pau.Nihil prorsus cibi mihi affers.Ent.Fistulam si dederis sat cibi abs me habebis.Pau.parū fidei mihi apud te esse reor:quando tibi falsa memoraui:Ent.Si me ludificabis pauline superos testor me posthac tibi non esse crediturū vnq̄/ cape tibi caseū.Pau.Et hac sonora te dono fistula.Ent.Si non canora magis me vis donare ⁊ hanc tibi seruato.Pau.qđ sibi desit edepol scio nihil.Entel.Nullū prorsus edit sonū Ausculta mihi rursus inflabo.Paul.Quo pacto emittere debet sonum fatue/ cum illius foramen ore tuo occlusisti.

Da mihi illam/quo cantabis modo te docebo/ sic eam te-neto/foramen vt pateat ⁊ aciem fistule labello tuo sic leuiter tangito/audi hoc. En. Sine experiar. Pau. Nũ tibi recte persuasi. Entel. Stridet vtiq₃ paululũ. Pau. Ne mirũ/ruptus est pauculũ cortex/sed hoc nihil sibi nociturũ spero dũ fortiter spirauerjs/attamen si hac non contentus es modo operire/meliorem tibi breui faciam. Ent. Jam fieri nequit. Pau. Quãobrem. Ent. Mater inquit se nũc abituram q₂ sibi cena coquenda est/vt cum pater rure redierit quod edat inueniat/me quoq₃ vt sine mora venirem monuit. Pau. Abeat parẽs tua quo velit/nos hic manebimꝰ: in tribus etiam horis vix estis cenaturi. En. Non ausim. Pau. Quin ni. En. Succensebit certe ⁊ ego vapulabo/me tuo etiam parentẽ/qui si de rure iã redierit/ me quoq₃ domi dũ non offenderet verberaret. Pau. Ne time/rogato eã vt tibi pro hac vice indulgeat ad quartale dũtaxat vnius hore. Entel. Nõ faciam/tempus est abeamus hinc. Paul. Vespere vix cantantur. Entel. Quid ais stolide/suspice celũ/en sol iam in occasum ruit. Pau. Non credo eũ in quattuor horis casurũ: maneamus hic vsq₃ ad vesperũ. Entel. En bubulcus iam pellit in stabula iuuencos. Audin matrẽ/nos ituros vocantẽ/mos gerendus est parentibus/tu hic mane/ipse eo. Pau. Ego tecũ nõ ingrediar/timeo mihi ne quis baccalarioꝝ in ponte isto obuiã veniens me tecũ exiuisse videat. En. Quorsum tũc iter facies. Pau. Vorsum ꝑ odere portã. En. Perge quo lubet ipse matrẽ sequar Pau. Quando aliter fieri nequit equidem te sequor.

Scolaris sic petat introitũ scolarũ.

¶ Venerabilis dñe magister doctrĩe capessende gratia me sub vestrã contuli presentiã. Quapropter mihi vt sub eruditione vestra esse queã fauete: vos non oro solum ꝫ etiam obsecro/polliceor me omnia que probum decent scolarem summo semper studio esse facturum.

semper studio esse facturum.
¶ Humanissime domine rector/ bonarum artium percu pidus huc concessi/ doctrina vestra doctior euasurus. Quã obrem me scolastico vestro cetui vt annumeretis maiorem in modum peto/ que me volueritis facere omnia studiose diligenterq3 exequi curabo.
¶ Colẽde vir discẽdi studio huc veni/ ea ꝓpter ꝑ clemẽtissimũ vos oro deũ: vt scolas vestras ꝯsensu vestro ingrederer Que vos vestrosq3 velle ĩtellexero faciã omnia ꝗ̃ lubenter.
¶ Obseruãde vir sub cõspectũ vestꝝ me recepi eruditionis gratia. Quare me in numerũ scolariũ vestroꝝ vt suscipiatis maximopere rogo/ iussa vestra capessam: me quoq3 artibus ipsis opere plurimum esse daturum promitto.
¶ Perdocte vir sciẽtie auidus huc veni aliquid etiã doctrine vestre accepturus/ quare si me in scolastici cetus ordinez acceperitis/ nihil mihi gratius accidere existimarez/ quod vt faciatis vos vehementer rogo/ spondeo me vobis et vestris collateralibus morem semper esse gesturum.

¶ Scholaris recessurus sit petat fauorem abeundi.


¶ Obseruande preceptor visum est parẽtibus/ ipse quoq3 apud me cõstitui/ vt hinc me alio cõferrẽ. Humanitatẽ igitur vestrã oro vt vestro cõsensu abire possem/ immortales vobis ⁊ ago ⁊ habeo gratias ꝓ beniuolẽtia erga me vestra quã licet nondũ aliquo meo exequaui merito/ me tamen vobis quoad vixero promitto esse obsecuturum.
¶ Placuit parentibus vt ad academiã Cracouiensem concederẽ/ cũ itaq3 pro eruditione vestra gratias nõ sim relaturus immortales/ tamen ago agamq3 dum viuam
¶ Genitor meus mihi perscripsit patrios penates vt reuisam/ mille igitur vobis sint gratie pro cura diligẽtiaq3 vestra mecum habita/ cui licet eque nullo etiã munere sim responsurus/ deum tamen spondeo me pro vestra bona va

litudine semper esse exoraturum.

¶ Quamuis id diligentie quod mecum habuistis / non meruerim / dignitas tamen vestra speret se a pientissimo sat mercedis esse accepturam/ cui vt vos diu incolumes ser uet indies supplicabo.

¶ Vne mihi a parētib⁹ allate sunt littere domū vt veniaz q̄primū/ q̄d cause sit ꝓspectū mihi non est/ vos ideo vehe mēter rogo vt vestro fauore hinc abeā/ ꝛ ꝑ vestra in me be niuolētia gratiā vobis habeo singularem/ me quoqꝫ ꝓpe tuo vobꝫ obseq̄o vbicūqꝫ terraꝝ fuero obstrictū eē ꝯfitebor

¶ Abiturus suꝫ hinc aliorsum/ quare magnopere vos ro go abitioni mee non desit vester consensus/ et lꝫ pro vestra mecum opera non sim vobis satisfacturus/ me tamē pro mitto nullum etiam diem/ quo pro salute vestra deū non exorem/ esse pretermissurum.



ARMA REGIS DACIE

